Prooemium

‚Emortua est lingua Latina.' Quis est, qui hanc sententiam multipliciter repetitam ignoret! Quae sententia non fit verior, quo saepius repetatur. Ecclesia Romano-catholica scil. numquam desiit hac lingua uti, quamquam nostris temporibus linguae vernaculae in sacris celebrandis plus plusque invalescunt. Revera nulla iam est natio, nullus iam populus, qui Latine loquatur. Attamen sunt, qui in circulos amicaliter congregati hunc vetustum sermonem colant, quo monstrant monstrentque eum adhuc esse vivum, vegetum, vitalem, cuius ope etiam res nostrae aetatis, quae modernae dicuntur, exprimi possunt.

Talis circuli vivae Latinitatis amantium sodalis est Joannes Linnartz, qui admirabili annisu hunc Caroli May librum Latine reddidit, idque scite et daedale. Probet ergo unusquisque Latini sermonis gnarus, utrum legibilis et intellegibilis sit hic liber necne, quamvis ‚lingua emortua' scriptus proponatur!

Rochus Habitzky

1. DE VIRO SINE AVRIBVS.

Non mediocri spatio a primo mane confecto aliquantum fatigatus eram et validis radiis solis in alto caeli fastigio stantis vexabar, ut quiescere et prandium sumere constituerem. Prataria undatim alia post alia excelsiora et depressiora efficiens latissime patebat, Postquam manus nostra quinque ante diebus a crebra Ogellalarum caterva dispersa est, neque bestiam memorabilem neque hominis vestigium inveneram, ut desiderio animalis ratione praediti caperer, quocum experirer, si forte silentio diuturno lingua defectus essem.

Neque rivus neque aliae aquae hic erant, ne silva quidem vel virgulta, ut haud diu mihi eligendum esset egoque consistere possem, ubicumque volebam. Itaque in depressiore loco in humum desilui et equifero pedica vincto stratum dempsi et excelsiora ascendi, ut illic considerem. Equus mihi infra relinquendus erat, ut hostibus appropinquantibus non videretur. Ipse autem locum excelsiorem deligere debui, ut loca oculis perlustrare possem, cum ipse humi procumbens haud facile conspicerer.

Non sine causa mihi cavendum erat. Cum grege duodecim virorum a ripa Plattae fluvii profecti eramus, ut in orientis parte Montium Saxosorum in Texiam descenderemus. Eodem tempore variae gentes Siuxensium vicos castrenses reliquerant, quod nonnullis bellatoribus ab albis interfectis poenam petituri erant. Quamquam id scientes caveramus, in manus eorum incideramus et quinque viris ex nostris acerrimo et cruento proelio interfectis in omnes pratariae partes dispersi sumus.

Cum Indiani ex vestigio meo, quod parum delere potueram, cognovisse viderentur me in meridiem equita-

re, eos me secuturos esse pro certo habendum erat. Ergo oculos apertos habere debebam, ne mihi timendum esset, ne lodice quodam vespere involutus mane sine capitis cute in aeternis saltibus venatoriis expergiscerer.

Procubui, frustum bubalinae siccatae prompsi et sale egens pulvere pyrio infricui, tum dentibus in statum redigere conabar, ut massam corio duriorem in ventrem insererem. Post unum ex meis *manufactis* sumpsi et accendi et fumi nubeculas tanta cum voluptate efflabam, quasi colonus Virginianus essem, qui foliola media optimi *chenopodii*[1] digitabulis nitentibus evulsa fumat.

Nondum diu in lodice cubabam, cum fortuito respiciens punctum in margine circuli finientis conspexi, quod via angulum acutum cum mea itineris regione efficiente ad me ferebatur. De loco edito tantum delapsus, ut corpus prorsus contegeretur, rem observabam, quam paulatim cognoscebam equitem esse, qui valde pronus Indianorum modo in equo pendebat.

Cum eum primo conspexi, ad mille quingentos passus a me aberat. Equus eius tam tardos gradus faciebat, ut ei paene semihora opus esset ad mille passus conficiendos. Rursus prospectans, unde veniret, obstupefactus cognovi alia quattuor puncta diligenter vestigium eius prosequentia, qua re eo attentior sim factus. Illum equitem singularem album esse ex veste eius certe cognovi. Erantne fortasse alii eum persequentes Indiani? Telescopium prompsi:

Revera, me non fefelleram. Eos appropinquantes ex armis et coloribus per tubum perspexi Ogellalarum, gentis bellicosissimae et crudelissimae Siuxensium esse. Equis bonis erant instructi, cum equus albi deterrimus esse videretur.

Eques, qui statura parva et macra erat, in capite pilleum margine carentem gerebat, quae res in prataria conspicua non erat, hac in re autem defectum evidentem

[1] chenopodium – goosefoot (species tabaci)

faciebat, qui mihi maxime insignis esse debebat: Ei deerant aures. Loci, ubi esse debebant, vestigia violentiae exhibebant. Ei utique desectae erant. Umeri eius amicti erant ingenti tegumento, quo superior corporis pars prorsus velata esset atque etiam crura macra vix cognosci possent, quae peronibus tam miris erant calceata, quos homines in Europa habitantes risissent. Tales enim erant, quales *gauchi*, qui dicuntur, bubulci Americae australis, conficere et gerere consuerunt. In pellem, quae de pede equino ungula privato detracta est, dum calida est, crus inseritur. Tum cutis refrigescens arte et firme aptatur et pedi et cruri, ut egregium pedum tegmen efficiatur, quo scilicet ipsius plantis itur. De ephippio ignoti res pendebat, quae, quamvis pro bombarda esset, fusti similis videretur, qui in ipsa silva inveniatur. Equus eius erat vetula equa camelipes, cui saetae caudae prorsus deerant. Caput eius iusto maius erat et tanta longitudine aures, qua quis terreri posset. Bestia tali habitu erat, quasi ex variis corporum partibus equi, asini dromadisque esset composita. In eundo caput deorsum deflectebat usque ad solum, cum aures iuxta caput sicut canis Terranovanus flaccidas demittebat, tamquam ei essent nimis graves.

Si condiciones aliae fuissent sive novicius fuissem, eques et equus mihi risui fuissent; sed quamquam habitus eius mirus erat, mihi unus ex illis viris occiduis esse videbatur, qui cognosci debeant, ut praestantia eorum iudicari possit. Putabam eum nescire quattuor atrocissimorum hostium tam prope a se abesse, sin aliter, non tam lente et secure viam tenuisset aut certe interdum ad eos respexisset.

Cum usque ad centum passus appropinquavisset, vestigium meum tetigit.Utrum ille an equus eius id prius animadvertisset, dicere nequibam, sed bene crevi equam ultro subsistentem, caput amplius quam antea in terram demittentem, limis oculis vestigia equiferi mei intuentem, acriter aures longas moventem, quae modo sursum

et deorsum ferebantur, modo porro et retro ad se applicabantur, ut a manu caeca de capite extorqueri viderentur. Cum eques, ut vestigia diligenter scrutaretur, descensurus esset, ne tempus pretiosum perderet, eum occupavi clamans: „Heus, vir! In equo residens paulum adequita!“

Habitum corporis ita mutaveram, ut me videre posset. Equa eius confestim caput tollens auresque immobiles porro applicans, tamquam verba mea sicut pilam excipere vellet, sedulo brevem et nudum truncum caudae movebat.

„Heus, domine“, ait, „alias voci tuae moderare et rude paulo lentius. Hoc in vetere prato numquam scis, an fortasse hic vel illic sint aures, quas nihil audire oporteat. Veni Tonia!“

Equa, postquam succlamatione inducta crura paene supra modum longa cievit, sua sponte apud *equiferum*[1] meum stetit, cui, cum eum superbe et maligne intuita erat, illam corporis partem obvertit, quam apud navem puppim appellare solent. Una ex illis bestiis esse videbatur, quae – haud raro in prataria – solum domino suo vivant, sed cuilibet alii tam contumaces se praebeant,ut ei nulli usui sint.

Ei respondi: „Non ignoro, quanta voce loqui liceat. Unde venisti et quo vis, domine?“

„Id omnino nihil ad te attinet“, inquit.

„Putasne? Nimis humanus non es. Id tibi iam nunc bona mente testificari possum, quamquam vix ulla verba tecum locutus sum. Sed aperte dicere velim me responsum ferre consuesse, si interrogaverim.“

„Ehem. Tu videlicet mihi nobilissimus vir humanus esse videris“, inquit contemptim me adspiciens. „Itaque ilico te certiorem faciam, sicut petisti.“

Primo retrorsus innuens, tum prorsus: „Inde“, inquit, „veni, illuc velim.“

[1] equifer, -i m. – der Mustang

Viro delectari coepi. Certe me alterum Gargilium[1] existimavit, qui a comitibus aberravisset. Vir vere occiduus[2] parum curat habitum et aperte ab omni cultu abhorret. Qui per multos annos in occidente fero vagatus est, vestimento ad vitae societatem hominum elegantiorum aptus non est atque putat hominem corpus suum curantem *neoceraeam*[3], a qua nihil praeclarum exspectari possit. Illic in castello Randallio me novo vestitu exornaveram et semper arma nitentia habere solebam, quibus rebus zavanivago[4] gravis videri nequibam. Itaque mores asperos homuncionis alieni haud moleste ferebam, ut aeque ac ille porro innuerem:

„Ita fac, ut *illuc* pervenias! Sed cave illos quattuor Indoandras[5], qui vestigium tuum persequuntur. Haud scio, an eos omnino non animadverteris."

Ille vir macer me contra intuitus est oculis claris et acribus, ex quibus simul et admiratio et irrisio cognosci possent. „Eos non animadverti? Hihihi! Quattuor Indoandres post me neque ego eos animadvertam? Exempli gratia mirum caput mihi esse videris! Optimi homines iam a primo mane me insequuntur. Sed eos respicere non debeo, quoniam horum rubrorum virorum nobilium mores novi. Satis magnum spatium tenebunt, dum lux clara erit, mihique obrepent, si qua cubile mihi quaesivero. Sed ratio exempli gratia eos valde fallet; nam gyrum carpam, quo post tergum eorum perveniam. Adhuc solum deerant loca apta. Inter has undas locorum editorum et demissorum tandem facere potero. Atque si discere et videre vis, quomodo vetus vir occiduus efficiat, ut advehatur ad *Erythroandras*[5], tantum ad decem minutas tibi exspectandum erit. Sed certe omittes; nam tui generis vir exempli gratia aliquid Indianorum spiritus naribus

[1] alter Gargilius – Sonntagsjäger (Hor.)
[2] vir occiduus – Westmann
[3] neoceraea – Greenhorn
[4] zavanivagus – Savannenläufer
[5] Indoandres – Indsme
[5] Erythroandres – Redmen

haurire vehementer abhorruerit? Age Tonia!“

Prorsus me neglegens equo avectus est, ut iam post semiminutam una cum mira equa inter edita loca evanuisset.

Consilium eius mihi facile erat ad intellegendum; nam eius loco simile cogitatum perfecissem. Cum equa gyrum carpturus erat, quo post tergum insectantium perveniret. Hoc modo illis appropinquare debebat, priusquam ex cursu flexo consilium eius concluderent. Ut id, quod volebat, consequeretur, ei in vallibus locorum undatorum versandum erat, melius autem erat eum non post tergum Indoandrum se collaturum, sed flexum tam brevem facturum esse, ut iis praetereundus esset. Cum eum adhuc bene observare potuissent, sciebant, quam longe ante se esset, ut suspicari nequirent eum subito rursus in propinquo fore.

Cum essent quattuor contra unum, fieri potuit, ut armis uti deberem. Quibus igitur inspectis exspectabam, quid accideret.

Indiani appropinquabant alius post alium. Paene ad locum pervenerant, ubi vestigium parvi et meum inter se concurrerant, cum primus ex iis equo stato oculos rettulit. Mirum eis videbatur, quod albus, quem insectabantur, non iam videbatur. Arte una manentes breve consilium inierunt.

Globulo sclopeti *ursicidalis*[1] eos, si res id exegisset, contingere potuissem. Sed opus non erat; nam tum ictus sclopeti fragorem edidit, et proxima secunda alter ictus auditus est. Dum duo Indiani ex equis defluunt, magna et exsultans vox intonuit.

„O-hi-hi-hiiii!“ illo sono gutturali editum est, quem clamorem Indiani tollere solent.

Sed non Indiani eum emittebant, sed ille parvus venator, qui ex propinqua valle demissa exortus est. Propositum suum peragens, postquam ante me e conspectu evo-

[1] (sclopetum) ursicidale – der Bärentöter

lavit, rursus ante me videbatur. Simulabat se post duos globulos coniectos fugiturum esse. Equa eius repente prorsus alio ingenio esse videbatur. Crura vehementer divaricabat, caput cum auribus alacriter erectis imis in cervicibus erat omnesque nervi intenti esse videbantur. Et eques et equa quasi in unum corpus coaluerant. Vir sclopetum habenis laxatis tam certe oneravit, ut eum non primum in tali loco esse colligi posset.

Post eum duae displosiones crepuerunt. Uterque Indianus invulneratus ictum in eum miserat, sed neutro globulo tactus est. Indoandres ululatum rabiosum tollentes securibus bellicis captis eum subsequebantur. Ille omnino nondum respexerat. Cum autem sclopeto onerato equum subito converteret, bestia consiliorum domini partem capere videbatur. Constitit et cruribus porrectis stabat immota sicut machina serratoria. Postquam sclopeto sublato eques breviter speculatus est, proximis atomis temporis bis fulsit neque minime quidem equa micuit – patebat duorum Indoandrum capita percussa esse.

Adhuc sclopetum ad scopum direxeram, sed *ponticulum*[1] non presseram, cum parvus auxilio meo carere posset.

Postquam ex equo descendit occisos inspectaturus, ad eum astiti.

„Quid vero, domine, scisne tandem exempli gratia, quomodo ad hos furciferos rubros in gyrum redeatur?“ me interrogavit.

„Εὐχαριστῶ (gratias ago), domine! Video apud te aliquid disci posse!“

Risum meum paulum ancipitem ducere videbatur, ut acriter in me intuens diceret: „An tu etiam in talem cogitationem incidisses?“

„Gyro opus non fuit“, inquam. „Cum haec sit natura loci, ut in vallibus clam te subducere possis, satis est te,

[1] ponticulus – Abzug

postquam a longiore spatio in conspectum venisti, in proprio vestigio equo revehi. Gyrus magis idoneus est ad planam et patentem pratariam."

„En, unde haec omnia cognoveris? Quis tandem es, eho?"

„Libros scribo."

„Tune – libros – scribis?" Admiratus pedem rettulit et frontem partim suspicaciter, partim misericorditer contraxit. „Aegrotasne, domine?"

Eques auribus carens digitum intendit ad frontem, ut non ignorarem, quem morbum diceret.

Rettuli: „Non sum."

„Nonne? Ita fortasse ursus te intelleget, sed ego non! Bubalum mihi telo occîdo, quod mihi edendum est. Qua de causa tandem libros tuos scribis?"

„Ut legantur."

„Domine, pace tua dixerim, haec vero stultitia est, qua maior cogitari non potest! Qui libros legere cupit, sibi ipse eos scribat, quam rem exempli gratia etiam puer intelleget. Neque ego enim pro aliis carnem comparo! Ehem, *bibliopoeus*[1] igitur es? Sed quorsum huc in zavanam venis, heus? Visne exempli gratia hic libros scribere?"

„Id tum demum faciam, si rursus domum revertero. Tum narrabo, quaecumque expertus ero et videro. Et multa milia hominum legent et scient, quae in zavana accidant, neque ipsis in pratariam ire opus est."

„Narrabisne igitur etiam de me?"

„Videlicet!"

Altero gradu relato proxime ad me accessit et dexteram capulo cultri venatorii, sinistram bracchio meo admovit.

„Domine, illic equus tuus est! Te subice in eum et fac, ut hinc facessas, nisi vis nonnullos digitos frigidi et acuti ferri inter costas tuas se insinuare! Coram te neque ullum

[1] bibliopoeus (βιβλιοποιός) – Bookmaker, Büchermacher

verbum dicere neque bracchium movere mihi liceret, quin omnes certiores fierent. Hic et ille male tibi faciat! Quam citissime te amolire!“

Parvus vir, quamquam vix usque ad umerum meum pertinebat, serias minas iactaverat. Quae res mihi delectamentum attulit, sed id non patefeci.

Ad propositum reverti: „Tibi promitto me nihil nisi bonum de te scripturum esse.“

Respondit: „Abibis! Dixi, manet et fixum est!“

„Ergo fidem tibi astringo me de te omnino nihil scripturum.“

„Hoc concedi non potest! Qui aliis hominibus libros facere aggreditur, demens est neque demens umquam fidem servabit. Age, porro, vir, ne exempli gratia bilis effluat in digitos meos neve ego faciam, quod aegre patiaris!“

„Quid id fuerit?“

„Ilico id videres!“

Eum ridens in irata et micante oculorum acie aspiciebam.

„Ergo fac, ut videam!“

„Age, huc specta! Quantopere tibi probatur hoc ferrum?“

„Haud male. Tibi probabo.“

Temporis puncto ei rapto bracchia retro torsi, inter ea et tergum eius bracchium meum sinistrum inserui, ea arte mihi impressi dextramque meam tam dure manus articulo imposui, ut vocem doloris edens cultrum ex manu amitteret. Hoc impetu repentino parvus vir tantopere praeventus erat, ut loro sacculi globorum manus eius in tergo constrictae essent, priusquam resistere potuisset.

„Malum!“ exclamavit. „Quid tibi vis! Quid mihi exempli gratia facies?“

„Heus, domine, voci tuae moderare et rude paulo lentius“ eius ipsius prioribus verbis usus respondi. „Hoc in

vetere prato numquam scis, an fortasse hic et illic sint aures, quas nihil audire oporteat.“

Eo ex manu emisso celeriter cultrum cepi et bombardam, quam antea, cum occîsos inspecturus esset, deposuerat. Manuum vinculum rumpere temptabat, ut contentione rubor ei suffusus sit, sed ei non contigit, quod lorum nimium adductum erat.

Ei consilium dedi: „Exspecta, domine! Non prius libertas tibi reddetur, quam ego voluero. Tibi enim solum declaraverim bibliopoeum cum hominibus ita loqui consuesse, ut illi cum eo loquuntur. Cultrum in me neque laesus neque damno affectus strinxisti, ut ex legibus zavanae mihi sis egoque tibi facere possim,quaecumque mihi placent. Nemo homo est, cui licebit me rationem facti reposcere, si fecero, ut hoc frigidum et acutum ferrum inter costas tuas se insinuet neque inter meas, sicut tu antea voluisti.“

Truci voce respondit: „Feri me, vir! Mihi gratissimum erit, si me exstingues; nam quod a singulo adversario, dum comminus eum aspicio, clara luce superatus et ligatus sum, ut ne digito quidem eum attigerim, est ignominia, cui *Sin-Otus* [1] superstes esse nequeat.“

Exclamavi: „Sin-Otus? Tune Sin-Otus es?“

Multum de hoc claro viro occiduo audiveram, qui raro alio comitante inveniebatur, quod vix quemquam dignum ducebat, qui eum sequeretur. Cum multis ante annis aures apud Navaios amisisset, ei nomen *Sin-Oti* impositum est, quod miro modo ex duabus linguis compositum est et sub quo notus erat, quoad zavana pertinebat et ultra.

Sin-Otus a me interrogatus tacebat et tum demum, cum iterum interrogaveram, dixit:

„Meum nomen nihil spectat ad te! Si mihi sit malum, non est dignum, quod edatur, atque si mihi sit bonum, oportet me id integrum servare a praesenti ignominia!“

[1] Sin-Otus – Sans-Ear

Ad eum accessi et vincula eius solvi.

„Ecce culter tuus tuaque bombarda; liber es! I, quocumque vis!“

Fremuit: „Noli stulte iocari! Num ignominiam hic relinquere possum, me a neoceraea esse victum? Si plane vir fuisset sicut Vinnetu vel potius *Vetus Pyrobolochir*[1] et *Vetus Catabolochir*[2], tum –

Miserebat me vetuli. De machina mea profecto graviter ferebat, ut mihi commodum esset me eum consolari posse, quoniam modo nomen memoraverat, quo ad ignem campestrem alborum et in Indianorum *viguamiis*[3] (casis) clarus eram factus.

Rogavi: „A neoceraea? Putasne reapse tironem Sin-Oto strenuo talem dolum nectere posse?“

„Quis alius es? Habitu enim es vir, qui recta via ex vestificina venit, et arma tua ita extersa et nitida sunt, ut pro saltatione personata institui solent!“

„Sed praestantia sunt; videbis! Animum attende!“

Lapidem altero tanto maiorem dollario humi iacentem captum in altum ieci et, cum in eo esset, ut viribus actus et terrae nutu summum viae locum assecutus esset, ut immotus inter caelum et terram suspensus esse videretur, globulo ictus et etiam sublimius actus est.

Talem iactum prius mei exercendi causa sescenties temptaveram, quam bene succederet. Erat artificiolum, quo spectatores obstupescerent. Nempe parvus me oculis aspexit, ex quibus me paene aliquid consternationis cognoscere putabam.

„Pro Dei fidem, qui iactus! Succeditne semper?“

„Ex viginti iactibus undeviginti succedunt.“

„Ita es unus ex iis, qui haud facile inveniuntur! Quod exempli gratia tuum est nomen?“

„Vetus Catabolochir.“

[1] Vetus Pyrobolochir – Old Firehand

[2] Vetus Catabolochir – Old Shatterhand

[3] viguamium, -ii n. – Wigwam

„Esse non potest! Vetus Catabolochir multo maior natu esse debet, aliter non *Vetus* Catabolochir vocaretur.“

„Oblivisceris verbum *veteris* saepissime ad alia indicanda atque aetatem adhiberi.“

„Res ita est, ut dicis! Sed ehem, tua pace dixerim, domine: Vetus Catabolochir a Vinnetu plagam in collum accepit, quae –“

„Aspice – haec est cicatrix!“

„Vere! Illic est! – Et – Vetus Catabolochir semper duo sclopeta secum ferre dicitur, ursicidale et carabinum.“

„Ecce illa!“

„En, reapse igitur es Catabolochir! Ehem, tibi aliquid dicere velim: Nonne putas me exempli gratia stuporem esse immensum?“

„Non est ita, non puto profecto. Tantummodo me falso neoceraeam duxisti, nihil aliud. A novicio talem petitionem exspectare non poteras. Sin-Otus solum re necopinata vinci potest.“

„Oho, tibi re necopinata opus non esse videtur. Neque multi fuerint, quibus sint ingentes corporis vires tuae.

Si quis a te opprimitur, ei non ignominiae est. Ergo inter nos amicitiam iungamus! Verum nomen mihi est Marco Iorrocks. Atque si mihi gratum facere velis, Marcum me appella!“

„Et tu me Carolulum, sicut omnes amici. Ecce dextra mea!“

„Cedo, ita sit, domine! Vetus Marcus non talis est, qualis ilico uniuscuiusque manum prenset. Tibi autem extemplo dextram dabo. Sed benevolum te praebe, quaeso, ne forte mihi manum in pultem contundas! Posthac ea mihi opus erit.“

„Ne timueris, Marce! Ista manus mihi etiam saepius gratum faciat, sicut mea parata est ad te adiuvandum. Sed nunc priorem quaestionem mihi iterum proferre licuerit: Unde venis et quo tendis?“